

8.45.6

*Imp. Alexander A. Octavio.*

Non dubitatur, et si specialiter venditor evictionem non promiserit, re evicta ex empto competere actionem.

*PP. VIII id. Mart. Alexandro A. cons.*

[a. 222]

8.45.7

*Idem A. Hilariano.*

Auctore laudato si evicta res est, fideiussorem, etiamsi agi causam ignoraverit, conveniri evictionis nomine posse non ambigitur.

*PP. III non. April. Alexandro A. cons.*

[a. 222]

8.45.8

*Idem A. Clementio.*

Emptor fundi, nisi auctori aut heredi eius denuntiaverit, evicto praedio neque ex stipulatu, neque ex dupla, neque ex empto actionem contra venditorem vel fideiussores eius habet. Sed et si iudicio emptor non adfuit aut praesens per iniuriam iudicis victus est absente auctore vel fideiussore, regressum adversus eum non habet.

*PP. VIII id. Dec. Alexandro A. cons.*

[a. 222]

8.45.9

*Idem A. Terentio.*

Si controversia tibi possessionis, quam bona fide te emisse adlegas, ab aliquo movetur, auctori heredive eius denuntia: et si quidem obtinueris, habebis quod emisti. Sin autem evictum erit, a venditrice successoreve eius consequeris, quanti tua interest: in quo continetur etiam eorum persecutio, quae in rem emptam a te, ut melior fieret, erogata eunt.

*PP. XI k. Ian. Alexandro A. cons.*

[a. 222]

8.45.10

*Idem A. Largo.*

Si fines agri venditor demonstravit et legem dixit intra eos neminem ingressurum, si quid inde evincatur, periculo fit auctoris, quod si finibus suis quos demonstravit agrum vendidit, lis finalis ad venditorem non pertinet.

*PP. VII k. Dec. Maximo II et Aeliano cons.*

[a. 223]